



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.9. Almanzor moritur. Mahadi Califa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

Sæcul. VIII.
A. C. 775.

§. VIII.

Constantinus obit. Leo Imperator.

p. 377.

Theoph.
an. 1.

At Constantinus Imperator his non diu superstes fuit. Nam cum in Bulgaros moveret, carbunculis correptus in curibus, accedente validissima febre, Constantinopolim se deferri voluit, & navem ingressus ubi Selimbriam pervenit, in ea extinctus est decima quarta Sept. anno 775. postquam ab obitu patris sui annos triginta quatuor & ferme menses tres imperasset. Non solum cognomento Copronymus, sed etiam Caballinus dictus. Successit patri Leo filius cognomento *Chazares*, qui annis quinque imperavit. Is sub Regni auspicia pietatem amare, & S. Virginem Monachosque venerari videbatur; imo in primas Sedes Episcopales viros ex ordine Abbatum immisit.

§. IX.

Almanzor moritur. Mahadi Califa.

Elmac. l. c. 3.
Dutych. to.
2. p. 399.

Eodem mense Septembri, anno septingentesimo septuagesimo quinto etiam e vivis abiit *Abujafar Almanzor*, anno Hegiræ 158. sexta die mensis Arabici *Dulbagia*, postquam regnasset annos viginti duos. Is anno Hegiræ 145. Jesu Christi 762. in ora fluvii Tigris urbem *Bagdad* illo temporis articulo fatali, quo Astrologi ædificandam esse præstiterant,

rant, condiderat. Hæc urbs exinde Sæcul. VIII.
 Musulmannorum Imperii Caput, & Ca- A.C. 775.
 lifarum Regia fuit. Item eo anno 145.
 ad plures abiit *Chail* seu Michael Patriar-
 cha Jacobitarum Alexandria. Huic Mi-
 na seu Menas successit, & Sedem annis
 novem tenuit. Patriarcha Melchita Ale-
 xandrinus Cosmi Successor fuit Politia-
 nus Medicus, qui Sedem tenuit annis Eutyck. pag.
 quadraginta sex. Cum Almanzor ex- 400. Theoph.
 tremo Regni sui tempore Jerosolymam an. 33. Const.
 venisset, Christianos & Judæos omnes p. 376.
 in manu signari iussit, unde multi Chri-
 stiani itinere maritimo in Romaniam, id
 est, in Ditiones Imperio Romano subdi-
 tas fugere compulsi sunt. Almanzor
 Successorem habuit filium suum *Mabo-*
met Almabadi, qui annis decem regnavit.
 Is anno Regni sui quinto, Jesu Christi Id. an. 5.
 septingentesimo octogesimo Jerosolymam p. 381.
 venit, misitque ex Proceribus aliquem
 cum mandatis, ut omnia Christianorum
 mancipia ad defectionem a Fide cogeret,
 & Ecclesias desertas redderet. Usque
 Emesum progressus spondebat, neminem
 se ad apostasiam compulsurum, nisi parvu-
 los Infidelium; postquam vero depre-
 hendisset, qui Judæi, & qui Christiani
 essent, crudelius eos habuit ac olim ve-
 teres Pagani, multosque usque ad necem
 persecutus est. Furorem hominis maxi-
 me incendit fortitudo quarumdam fæ-

Sæcul. VIII. minarum, nimirum uxoris Archidiaconi
 A. C. 775. Ermesini, & filii ejus, multarumque aliarum, quæ toleratis nervorum bubulorum verberibus aliisque tormentis gloriosæ Tyranni victrices extiterunt. *Mahadi* usque Damascum perveniens multas Ecclesias depopulatus est, foederibus violatis, quæ Arabes cum Christianis iniierant.

§. X.

S. Gregorii Ultrajectensis Obitus.

Sup. l. XLI. §. 48. 49. In Occidente, videlicet in Germania, præsertim Frisia & Saxonia Fides mi-
vita tom. 4. Act. SS. Ben. p. 327. re propagabatur. Ecclesiæ Ultrajectensi in Frisia præerat Gregorius Discipulus S. Bonifacii, quem ab anno ætatis suæ decimo quinto secutus, eundemque in secundo ipsius itinere Romam instituto anno 723. comitatus, multa ibi Sacrarum Scripturarum volumina collegit, & non sine difficultate inde avexit. Duos præterea juvenes Anglos Marchelmum & Marcuinum, S. Bonifacio licentiam dante, Roma adduxit, quos deinde Discipulos habuit. Contigit, ut cum duo Gregorii fratres a grassatoribus in Silva jugulati fuissent, Domini, quorum Vasalli erant latrones isti, comprehensos victosque ad Gregorium mitterent, ut eo mortis genere, quo vellet, interficeret; quippe Barbarorum legibus vindicta in propinquo-